

cum fuerit de spe sua res ac
ceptum sumus mercedem de
narium. Ipa enim merces
reducitur operarius munera
laborantibus secundum eundem
gelum quod credo remissis
a. Neque enim omnia com
memoranda sunt tamquam
rudibus et imperitis. **Salo**

ne monitis et opum mi
raculis imbuebat. ut de
et unigenitus dei et filius
hominis crederetur. Nam
unum horum sine alio au
non poterat ad salutem
et equis erat piam co
mum ihm piam
dum tantummodo sin

omne. ut. **Salo**

et imperitis. **Salo**

nos



Tom. *Pruell.* 59.

~~G. 17. 2.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-42.

SIGNAT. CLDCCCXIII.

B. 17



10
III. DISPUTATIO
DE SACRAMENTIS.

De Pœnitentia.

*Deo Patri per Jesum Christum, unicum
Salvatorem nostrum, Spiritum san-
ctum largiente.*

PRÆSIDÈ

REVERENDO ET CLA-
RISSIMO VIRO, D. IACOBO AN-
DREAE Sacrosanctæ Theologiæ Doctore, & Pro-
fessore, Ecclesiæ & Academiæ Tubingensis Præpos-
sito & Cancellario dignissimo D. ac Præceptore suo
omni obseruantia colendo, M. VVILHELMVS
FRIDERICVS LVCIVS Tubingensis, ad subse-
quentes Conclusiones, die 23. Aprilis, hora &
loco consuetis, exercitiij causa, respon-
dere conabitur.



TUBINGÆ

M. D. LXXIIII.

5
DISPUTATIO DE
POENITENTIA.

Propositio prima.



¶ Triora duo Sacramenta, Baptismus & Eucharistia, miserabiliter, partim contaminârunt, partim mutilarunt Papistæ, & Confirmationem salutarē in ludicrâ cæremoniam commutarunt, magicis incantationibus conspurcatam: Sic & doctrinam de Pœnitentia, quam quarto loco in septenario numero Sacramentorum collocarunt, propemodum prorsus deleuerunt.

2. Quam cū DOMINVS, ut alias doctrinæ cœlestis partes, per Diuum Lutherum, à corruptelis, & tenebris papatus purgatam, singulari gratia nobis restituerit, quid de ea sentiendum sit, & secundum scripturam sacram iudicandum, paucis propositionibus exponemus.

Gen:3.

3. Antiquissima autē est prædicatio Pœnitentiæ, in Paradiso facta, cū Deus primos parētes nostros propter lapsum seuerissimè obiurgans, eosdem promissione de venturo seruatore, absoluit.

4. Eadem postea per sanctos patres, Prophetas, Christum & Apostolos repetita, omnibus peccatoribus viam ad æternam vitam aperuit.

5. Est autē Pœnitentia doctrina, quæ vn̄uersum humanum genus, propter peccata, iræ Dei, temporalis
ralis

Disputatio de Pœnitentia. 3

ralibus & æternis pœnis dignos pronunciat per Legē Dei, dolorem in animis hominum, veramq; contritionem excitans, ut seriò doleant, se Deum offendisse, & eosdem denuò dulcissima voce Euangelij, de Christo propitiatore vnico erigens & consolans, & fructus, conuersione vera ad DEVM facta, dignos, exigens.

6. Hanc Christus in toto terrarum orbe prædicari iussit, cum inquit: Sic oportebat Christum *Lu. 24.* pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, ac remissionem peccatorum in omnes gentes.

7. Est autem non vna vocabuli Pœnitentiæ *Mar. 1.* significatio. Quod aliàs contritionē tantū significat: sicut scriptum est: Agite pœnitentiam, & credite Euangelio: aliàs verò totam conuersionem ad DEVM, *Mat. 13.* vt cum Christus inquit: Nisi pœnitentiam egeritis, simul omnes peribitis.

8. Cū autem diuersissima sit Papistarum & veræ Ecclesiæ DEI, de hac ipsa, doctrina, partes quoq; eiusdem aliter atq; aliter sunt enumeratæ.

9. Vera enim Ecclesia DEI duas partes verę pœnitentiæ agnoscit, videlicet contritionē, hoc est verā peccati agnitionem, qua homo sciens se DEVM offendisse, ex animo dolet: & fidem, quæ est fiducia in misericordiam DEI, propter mediatorem Christū, promissam & exhibitam, qua firmiter credimus, quòd nos gratis, nō ex operibus, quæ sunt in iustitia, *Tit. 3.* quæ faciebamus nos, sed secundum misericordiam suam nos saluos fecerit. Qua conuersione ad *Luc. 3.* DEVM facta, fructus pœnitentiæ dignos facimus,

A 2 cimus,

cimus, quibus nostram conuersionem coram hominibus, demonstramus, & nouam obedientiam inchoamus.

10. Et quoniam tota uita hominis nihil aliud est, quam perpetua pœnitentia, non magnopere cōtendimus, si quidā conuersioni ad DEVM factæ, fructus annumerantes, tres partes pœnitentiæ constituent, contritionem, fidem & nouam obedientiam.

11. Prior enim diuisio tēpus respicit, quo homo gratia DEI excidens, eidem restituitur.

12. Posterior autem totū vitæ cursum completitur, quo ad DEVM contendimus, ut à peccatis penitus liberati in perfecta Iustitia coram ipso semper uiuamus.

13. Ut autem Contritionis dolor acuatur, peccati agnitio, quæ eundem gignit, si vera est, ex concionibus de ira DEI contra peccatum, ex publicis & priuatis calamitatibus generis humani, omniū uerò maxime, ex morte filij DEI concipiēda est, quæ pro peccatis totius mundi uictimam fieri oportuit.

14. Agnoscenda autem sunt nō modò externa delicta, sed etiam interior immundities deploranda, uidelicet dubitatio de DEO, securitas, admiratio nostri, superbia, despectio aliorum, maleuolentia, inuidia, flammæ prauis amoris, & alij uiciosi affectus.

15. Inprimis uerò ex animis pellēda est praua securitas: qua homines suis uitijs indulgentes, gratiam DEI sibi nihilo minus pollicentur.

16. Ideoq; prædicatio Legis non solum apertis & manifestis contēptoribus iræ DEI, sed etiam uerè pijs

p̄is hominibus, propter morbum in natura hærentem, valde necessaria est, vt à lapsibus sibi cauere & naturam deprauatam reprimere, perpetuo auxilio Spiritus Sancti confirmati, studeant.

17. Hinc patet, quàm non modo absurda, sed etiam pernitiōsa opinio sit, qua asseritur Legem in Ecclesia fidelium non docendam esse, quæ ideo prædicata est per patres, & deinde terribili voce in monte Sina reuelata, & assidue per Prophetas, Christum, & Apostolos repetita, vt sciamus, esse æternam & immutabilem sententiam DEI, declarantem iram eius aduersus peccatum.

18. Quia verò prædicatio legis & iræ DEI desperationem parit, nec vlla ad DEVM conuersio fieret, nisi consolatio accesserit: ideo etiam necessaria est altera pœnitentiæ pars, videlicet fides, quæ statuatur, nobis remitti peccata propter Filium DEI.

19. Ea autem nō est tantum Legis, aut historiæ notitia: sed fiducia in misericordiã DEI, qua vnusquisq; pro se credit, sibi verè remitti peccata à DEO propter Christum gratis, id est, non propter nostram dignitatem, aut nostra merita.

20. Hæc discrimen facit inter contritionem Iudæ & Petri. Quia enim ad contritionem Iudæ non accessit fides, ideo oppressus terroribus, ruit in æternum exitium. Ad contritionem autem Petri accessit fides, ideo ex suis ingentibus doloribus reuixit.

21. Hæc eadem etiam discrimen inter timorem seruilem & filialem facit. Quod timor seruilis sit paupor sine fide, qui re ipsa DEVM fugit. Timor autem

A 3 filialis

filialis pavor est, quo dolet homo, quòd DEVM, offenderit, eundem autem non fugit, sed fiducia mediatoris querit, & ad eum *ἰσχυροφροσύνη* fidei accedit, remissionem peccati petens & accipiens.

22. Rectius autem illa in exercitijs pietatis, & in veris tentationibus discuntur, quam in Disputationibus percipiuntur.

23. Nequaquam verò fouenda est dubitatio in animis, qua homines perpetuò suspensi & dubij herentes, gratiam Dei, sibi certò polliceri nō audeāt.

24. Ideo .n. DEVS voluntatem suam per predicationem Euangelij patefecit, & per Sacramenta promissiones suas obsignauit, vt fideles de ea minime dubitarent.

25. Nec obstare debet fiducia huic indignitatis, infirmitatis, & indispositionis nostræ ratio.

26. Siquidem fides Christiana non dignitate nostra, sed solius Christi dignitate & merito nititur, quæ per fidem tota nostra est, qui non sibi, sed nobis natus, passus & mortuus est.

27. Ideoq; intrepidè affirmamus, eos fidem & religionem Christianam, quod in ipsis est, funditus euertere, & prorsus inutilem reddere, qui hanc Papisticam dubitationem docent & confirmant.

28. Similiter quoq; electiōis particularitas piōrum animos ab hac fiducia reuocare nō debet, cum non nisi in vniuersalibus promissionibus, gratiæ per Christum reuelatæ, sit quærenda.

29. Damnanda item omnibus pijs pontificia doctrina, de poenitentia, qua eam totam in contritionem,

Pœnitentiã.

7

tionem, confessionē auricularem, & satisfactionem diuisam, docuerunt, dolore contritionis, rubore confessionis, & labore satisfactionis DEO pro admissis peccatis satisfieri, & hominem eidem reconciliari.

30. Non enim dolor noster, quem ex agnitione peccati concipimus, voluptatem peccati compēsat, quam in peccatis suis homines perceperunt: sed dolor Christi, de quo scriptum est: Verè languores nostros ille tulit, & dolores nostros ipse portauit, ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra. *Esa. 53.*

31. Nec confusio nostra coram sacerdote in cōfessione, impudentiam nostram tegit, qua non veriti sumus in conspectu Dei peccare, sed confusio Christi, de qua idem Propheta: Non est species ei, aut decor, vidimus eum, & non erat aspectus, desiderauimus eum despectum.

32. Nec satisfactio nostra per sacrificulum imposita, quales sunt ieiunium, oratio, eleemosyna, sed Christi passio & mors, Patri, pro nostris peccatis satisfacit: Sicut scriptum est: Dominus posuit in eo omnes nostras iniquitates: Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Item: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non tantum nostris, sed etiam pro totius mundi peccatis. *Esa. 53. 1. Io. 2.*

33. Perniciosus ergo est error, & ex animis hominum penitus euellendus, dolorem contritionis, seu vt ipsi loquuntur, si contritio plena non sit, attritionis, delere peccata coram DEO, quo passionis Christi merito derogatur.

43. Carni-



34. Carnificina quoque conscientiarum misera liberanda sunt pia mentes, quam auricularis confessio peperit, qua sub necessitate aeternae salutis, singulis iniunctum fuit, coram sacerdote, omnia peccata, quorum homo sibi conscius esset, per circumstantias enumerare.

Psa. 19.

35. Quae ut mandato diuino caret, ita etiam impossibilis est, iuxta illud: Delicta quis intelligit.

36. Et vehementer errant, qui similitudine morborum corporis decepti, morbos animi curari posse negant, nisi ministro Ecclesiae per circumstantias aperiantur, cum ratio diuersitatis sit manifesta.

37. Quia enim singulis morbis sua remedia peculiariter adhibentur, singulorum morborum cognitio Medico necessaria est.

1. Ioh. 1.
Colo. 1. 38. Mortis vero animi unica, eaque communis Medicina, & emplastrum paratum est, mors Christi, cuius sanguis mundat nos ab omni peccato.

39. Interim tamen minimè negamus, pia confessionis salutarem usum esse, quarum alia publica est, alia priuata.

40. Publicam autem intelligimus non, solum eam, qua in singulis publicis congressibus, praesente Ecclesiae ministro, DEO peccatorum seria fit ab omnibus confessio: sed eam quoque, qua in ieiunio solenni conuenientes fideles, ad publicas calamitates, quibus premuntur, auertendas, publice etiam peccata sua fatentur, & remissionem peccatorum, & mitigationem poenarum petebant.

43. Priuata similiter quoque duplex est. Aut enim Ecclesiae ministro priuatim sua confitentur peccata,

Pœnitentia.

9

peccata qui ad cœnam Domini accedunt: aut priuati cum priuatis, à quibus offensi sunt, aut quos offenderunt, reconciliantur.

42. Prior confessio, quæ fit Ecclesiæ ministro, etsi tanquam diuinum mandatum minimè vrgenda est: perturbatis tamen conscientijs erigendis, & ad erudiendos rudes valdè salutaris est.

43. Et mos petendæ absolutionis testimonium est, huius articuli, quòd lapsi emendantes sese, recipiantur à Deo, & sint ab Ecclesia recipiendi.

44. In qua exigenda pastores eam moderatior nem adhibere debent, ne in carnificinam conscientiarum conuertatur.

45. Posterior verò, à Christo ipso commendatur, qui iubet relinquere munus coram altari, & prius *Mat. 5.* reconciliari fratri, quàm sacra facias.

46. Cui etiam promissio adiecta est: Quicquid solueritis super terram, solutum erit in cœlo. *Mat. 18.*

47. Tria verò in petenda absolutione cogitanda sunt. Primum quidem, vt singuli suos lapsus deplorent, & se reos iræ Dei fateantur. Deinde, vocem Euangelij sibi applicari petant, qua sese consolentur, & fidem excitent. Postremò propositum quoque minimè Hypocriticum profiteantur, qua cogitent dignos fructus pœnitentia facere.

48. Satisfactio autem vetus mos fuit in Ecclesia, vbi non recipiebantur lapsi, qui defecerant ab Euangelio, metu suppliciorum, aut polluti fuerant cæde, aut manifestis libidinibus, nisi pius, castigati essent.

B 49. Et

49. Et seruabatur initio exempli causa, vt alij admoniti diligentius regerent mores: tum verò vt explorarentur animi, an serìo redirent ad Ecclesiam.

50. Fuitq; tota res politicus ritus, non pertinens ad conscientiam, seu remissionem peccatorum.

51. Etenim verè contriti agnitione peccatorum suorum, & fide promissionum Euangelij erecti, iam diuino iudicio à peccatis suis coram DEO verè absoluti, eiq; reconciliati fuerunt.

52. Ne aut illorū exemplo, alij peccarent, seueritas aliqua in illorū pœnitentia exploranda adhibita fuit.

53. Excludebantur autem in pœnites, & in peccatis suis perseverantes, ex communi consortio, quibus ira DEI denunciabatur.

54. Ea; irrita non fuit, sed pœnæ sequebantur, uas denunciatio illa minabatur.

55. Etsi verò mos ille minimè improbandus est, quem Ecclesia primitiua, ex Apostolica admonitione, sub tyrannide Romanorum Imperatorum sæuiente obseruauit, & suis quoq; traditionibus auxit.

56. Tamen cum merè politica res fuerit, ad disciplinam publicam conseruandam, nequaquam existimamus, hanc partem disciplinæ Ecclesiasticæ ab ijs negligi, qui hanc totam rem Magistratus piæ seueritati commendant.

57. Etenim senatores cuiusq; loci, verè seniores illi sunt, quos Apostolica doctrina passim Ecclesijs sub Tyrānis pœfecerat, quo tēpore Magistratus prophanus pro flagitijs minimè reputabāt, in quæ Christiani Magistratus auctoritate seuerissimè animaduertitur.

58. Quod

58. Quod verò id sine pœnitentia vera fieri existimant, idem de Ecclesiasticis pœnis, non minus verè affirmare licet, quas flagitiosi sine serâ pœnitentia præstare possunt.

59. Rectissimè igitur Ecclesijs, etiâ iuxta Apostolorum doctrinam, adeoq; disciplinæ publicè consultum existimamus, si cum p̄ij pastoris admonitionibus salutaribus, Magistratus & senatorum seueritas coniuncta sit. Qui non minus suo exemplo, quàm pœnæ seueritate promiscuam multitudinem in officio retineant, quorum animis & conscientijs solus **DEVS** imperat.

60. Qua ratione Deo & Ecclesiæ satisfieri arbitramur, idq; multò magis, quàm si iudicia instituantur, verbo Domini non præcepta, quæ plerunq; censura columbas vexare solet, neglectis ijs, qui suo exemplo & autoritate plus nocent.

61. Quod verò monachi hunc morem veteris Ecclesiæ, vel ignorâtes, vel studio ignorare volentes, hanc partem politicæ disciplinæ in conscientiarum carnificinam conuerterunt, id minimè in Ecclesia ferendum arbitramur.

62. Etenim satisfactiones definiabant operibus non debitis, quibus vel pœnas purgatorij, vel alias pœnas temporales redimi docebant, quòd **DEVS**, cum sit misericors, culpam quidem remittat, propter Christum, sed pœnam æternâ in purgatorij temporalem conuertat, quarû pœnarum pars potestate clauium remittatur, pars verò satisfactionibus redimenda sit.

62. Quæ ipsorum falsa opinio cum primario fia

dei & religionis Christianæ articulo, de humani generis redemptione per filium Dei facta, pugnat.

64. Nam Christus nō hoc modo nos à culpa peccati liberavit, vt pœnam eius nobis ex toto, vel ex parte, nostris operibus redimendam, reliquerit.

65. Cum enim tollere culpam, sit placare iram Dei, & mors æterna nihil aliud sit, quam sentire horrendam & inenarrabilem irā Dei, sciendum est, culpā & mortem æternā simul tolli propter Christum, non propter vllam compensationem nostram, sicut scriptum est: Aculeus mortis peccatum est, Deo autem gratia, qui dat nobis victoriā per Dominum nostrum Iesum Christum. Item: Ero mors tua a o mors.

66. Et planè absurdum est, quòd fingunt, propter opera non debita, pœnas peccatorum temporales remitti: de quibus dictum est, Frustra me colunt mandatis hominum.

67. Quòd autem Dominus post remissionem peccatorum & reconciliationem cum ipso factam, electos suos etiam pœnis temporalibus exercet, sciendum est, eas nequaquam compensationes pro perpetratis peccatis esse.

68. Aliæ enim causæ sunt, cur Deus illas infligit, videlicet, vt electi, de peccato in carne hærente admoneantur, quod malum sola Ecclesia rectè intelligit, aduersus quam, cum Diabolus rabiosè sæuiat, vult Deus per agnitionem infirmitatis nostræ, & afflictiones depopere fiduciam nostri, & inuocationē accendi.

69. Quæ

69. Quæ afflictiones sunt testimonia doctrinæ Euangelij, dum in illis non succumbunt fideles, & his ipsis efficiuntur similes imaginis filij Dei: quæ sunt testimonia immortalitatis & futuræ gloriæ, qua gratuita Dei Misericordia, compensabuntur.

70. Etsi verò Deus sæpe punit certa peccata certis pœnis sicut Dauidem, Samsonē, Salomonē, Osiā, Iosiam, Nebucadnezar, & alios innumerabiles puniuit: tamen sciendum est, pœnas mitigari posse pœnitentiā, aut prorsus remitti. Sicut scriptum est: Si nos *1 Cor. 11.* ipsos iudicauerimus, non iudicabimur à Domino.

71. Quòd verò scripturæ dicta proferuntur, quæ *Tobi. 4.* le est Tobia: Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animā ire in tenebras: Et illud Danielis: Peccata tua eleemosynis, redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, secundum fidei analogiam intelligenda sunt.

72. Si enim eleemosyna ab omni peccato liberat, *1 Gal. 1.* Christus frustra mortuus est.

73. Sin verò Christus nos ab omni peccato & *1 Ioan. 1.* morte solus liberauit, eleemosyna à nullo peccato, *Ioan. 1.* adeoq; à morte non potest liberare.

74. Liberat autē & eleemosyna à peccato, dum tanquam externa virtus, auaritiā depellit, quæ teste Apostolo, omniū malorum radix est, & homines in varias tentationes, laqueos Diaboli, concupiscentias multas, stultas & noxias, conijcit, in exitum & ad interitum perducentes.

75. Sic & clementia & beneficentia Nebucadnezar pœnam mitigasset, quàm Dominus temporarè *Dan: 2.*

lem illi pro crudelitate inflixerat, de qua mitigatione sola Propheta loquitur.

76. Cum igitur satisfactiones Monachorū Legē & Euangelium obscurant, & dignitatem traditionum humanarum amplificent, non modo taxandę, sed seueriter refutandę, & ex Ecclesia Dei pelendę sunt.

77. Sicut enim lex omnes homines reos facit, & Euangelium omnes credentes à culpa & pœna æterna propter Christum absoluit: Sic Deus non nisi operibus ab ipso mandatis colitur: quibus pro peccatis non satisfit, sed gratitudo erga ipsum, & fides erga proximum declaratur.

78. Quapropter non est, quod quisquam sese vociferationibus pontificiorum moueri patiatur, abolitıs canonicarū satisfactionū ceremoniis, nō modo disciplinā laxari, sed etiam animabus inenarrabile damnum inferri, quas variis prętextibus palliare conantur, quòd videlicet iustitię Dei satisfaciant, qui non minus iustus sit, quàm misericors, easq; titulo mortificationis ornant.

79. Iustitię enim Dei perfectissimè satisfecit *Ro .10.* Christus, pro omnibus credentibus, qui est finis & perfectio Legis, adeoq; Iustitia nostra pro nobis peccatum factus, vt in nobis Iustitia Dei impleretur, & *2. Cor. 5.* nos in illo Iustitia Dei, hoc est, iusti, Deo grati, & accepti fieremus.

80. Et longè alia est mortificatio carnis, de qua scriptura sacra concionatur, ab hypocrisi Monachorum, qua suas traditiones ornant.

81. Vera enim & non simulata mortificatio, verus dolor,

Pœnitentia .

15

dolor est, in contritione, aut patientia, sustinens
veras afflictiones, de qua Apostolus: vndicq; mortis
ficationem Domini Iesu Christi, in corpore circum-
ferentes. 2. Co. 4v

82. Cruciatus verò vltro sine mandato Dei accers
siti, quales erant corporis lacerationes, quas sacrifi-
culi Baalim sibiipsis faciebant, ad regulam perti-
nent: Frustra colunt me mandatis hominum. 1. Rego
17.

83. Interim tamen nequaquam damnamus vol-
untariam diligentiam coercendi carnem, quæ est
temperantia in cibo & potu, sedulitas in laboribus,
acris intentio in studia, precationem & alia negotia
vocationis, quæ omnia sunt opera debita, & virtus
tes, de quibus sæpe præceptum est: Cauete ne grauē-
tur corda vestra &c. Item: Captiuo corpus meum. Ma. 15.
Luc. 21.

84. Huic dum student fideles, nullo modo se
Deo pro peccatis satisfacere cogitant, sed ad obes-
undas vocationis operas sese parant. 1. Cor. 9.

F I N I S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is difficult to decipher due to its lightness and the texture of the paper.



ULB Halle 3
002 378 663



ant. cecidantur se
e sacre scriptur. **102**
hoc numero conser
e bene notatis. Jam
les quadraginta di
cunant. et helyas
n. et ihc dominus n.
ator n. ihc xpc. huc
ii numeru implent.
isen significatur **103.**

mus in hoc seculo. **104** u
sumo quam mercedem ad
didit apostolus. Sequitur
et dicit. **105** expectans illam
beatam spem. et manifesta
tionem glie bean dei. et sal
uatoris nri ihu xpi. **106** In hoc
ergo seculo quasi quadragi
simam abstinere ac celebra
mus. cum bene unimus.



10

III. DISPUTATIO DE SACRAMENTIS.

De Pœnitentia.

*Deo Patri per Jesum Christum, unicum
Saluatorem nostrum, Spiritum san-
ctum largiente.*

PRÆSIDÈ

REVERENDO ET CLA-

RISSIMO VIRO, D. IACOBO AN-

DREAE Sacrosanctæ Theologiæ Doctore, & Pro-

fessore, Ecclesiæ & Academiæ Tubingensis Præpos-

sito & Cancellario dignissimo D. ac Præceptore suo

omni obseruantia colendo, M. VVILHELMVS

FRIDERICVS LVCIVS Tubingensis, ad subles-

quentes Conclusiones, die 23. Aprilis, hora &

loco consuetis, exercitij causa, respon-

dere conabitur.



TUBINGÆ

M. D. LXXIIII.

